

229. De Furiarum ingressu ita Hermann. Diss. de Chor. Eum. p. XIII seqq. Σποράδην Zonaras interpretatur ἐσπαρμένως; Photius et Suidas δισπαρμένως ὡς κακείσει; Hesychius ἐσπαρμένως ἢ ἐν διαφόροις. Moschopulus Sched. p. 190. σποράδην ἴστανται τινες, ἤγουν δισπαρμένως. Ita Plutarch. Symp. II. 1. p. 629. D. E. σποράδην δὲ ἀναγέγραπται, καὶ οὐ διακεκριμένως, ἀλλ' ὡς ἕκαστον εἰς μνήμην ἦλθεν. Ex his nihil aliud colligi potest, quam chorum Furiarum non, ut solitum erat, ordinibus instructum ingredi, sed singulas nullo certo ordine advenire. Id autem fieri non poterat quin maximum terrorem spectatoribus incuteret, non modo ob rei insolentiam, (aliud est enim, quod Pollux dicit IV. 109. ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ καθ' ἓνα ἐποιοῦντο τὴν πάροδον,) sed etiam quod, si singulæ Furiae, alia post aliam, irruerent, numerus earum, ut qui continuo augeretur, multo major videri debebat, quam si ordinibus dispositæ simul omnes conspectæ fuissent. Sed quis credat in ea re tantam potuisse vim ad terrorem inesse, si Furiae, quum jam ante coram spectatoribus omnes apparuissent, in secundo demum actu ita fuissent introductæ? Immo sic demum percilli et horrore impleri spectatores potuerunt, si primus Furiarum ingressus ita tumultuosus fuit. Quare, etsi nolim contendere, non iterum sic eas prodiisse, illud tamen apertum esse arbitror, neque, quantum primus adspectus valeret, fugere Æschylum potuisse, nec narrationem istam de nimio spectatorum terrore potuisse oriri, nisi si prima eos Furiarum ingressio ita commovit. Sed licet etiam ultra suspicionem progredi. Nam neque chori carmen, quod est a v. 143. usque ad 178. neque quod est a v. 254. ad 275. parodus chori est, quæ demum v. 322. incipit: id quod et oratio ostendit, et clarius etiam metra docent, quorum hæc est compositio; ut non esse ab universo choro cantata appareat: sed hoc alius est dis-